

Atque sic erit hic Mundus, Corporum certorum Mundanorum (id est Astrorum Errantium) Synodus, in debito ac justo ordine ac dispositione, quorum *Rex* scilicet *Sol*, in medio, tanquam folio regali insidet eosque regit fovet ac gubernat; Unde, quousque hujus gubernatoris vires seu virtutes sese extendunt, eousque Mundus hic extensus intelligatur, ubi verò desinunt, ibi quoque hujus Mundi finem esse facile conjecturandum.

Corpora autem hujus Mundi ipsa (excepto eorum Rege qui præ cæteris præditus singularibus virtutibus) quod attinet, ex quatuor sic dictorum

Elementorum mixtura, modo ipsis congruo composita esse; uti etiam singula principaliora circa sua propria centra circumvolvi: & secundum analogiam quandam eadem se ratione ad invicem habere, quâ *Venus*, *Mercurius*, *Terra*, ad se invicem habent: hinc singula suas exspirare virtutes corporeas & incorporeas, singulaque possidere differentes influxuum rationes, &c. interim non ad eandem amissim à Supremo Mundi Opifice eodem modo esse condita, sed cæteris paribus, inter se satis differre, multis ex rationibus constat.

Corpora Mundana sunt ex Elementis composita.

Differunt tamen inter se.

CAPUT II.

Quomodo Mundus sit Unum Corpus, & inde Unicus Mundus nominandus.

Mundum hunc constare ex diversis corporibus ac materiis, quæ tamen singulari aliquo vinculo sint unitæ, per quod unum corpus, consequenter unicus Mundus constituatur, communiter statuunt omnes Philosophi.

Juxta sententiam Peripateticam est totus Mundus materiatum quid, ita, ut omnia corpora Mundana in spatio materiato intermedio, seu igneæ cœlesti aliquâ materiâ, subsistant, quæ scilicet substantiali vinculo inter se sint alligata, consequenter unâ simul unum Corpus vel unum Mundum efficiant.

Juxta sententiam Tychonicam, cui hodierno tempore omnes ferè Astronomi subscribunt, est materia illa cœlestis seu intermedia, *Aura* quædam subtilis, seu quinta aliqua essentia, quæ quotidie cum Sole ejusque ingenti Planetario Systemate circa Terram 24 horis currat, Terram verò in centro immotam relinquat.

Nostrâ autem sententiâ, spatium illud intermedium inter Corpora Mundana, non est materiatum sed purum immateriatum quid (uti *lib. 2. cap. 4.* & passim de Spatio diximus) per quod, à Sole diffunduntur virtutes ejus, non quidem in infinitum, sed eousque, quo orbis virtutis Solis, seu uti communiter dicunt, radii Solares effectivè excurrunt vel excurrere possunt; ita ut in tali virtutum orbe simul contineantur Planetæ & circumferantur, atque sic uniti & conjuncti sint unumve corpus sive unum Mundum efficiant, qui consistit in naturali quâdam ac justa & concinna ordinatione, dispositione ac coacervatione corporum suorum, quæ virtute Solis tanquam eorum Regis ita inter sese posita sunt, ut secundum naturam aliter esse non possint. Sicut omne constans regimen consistit ex Rege & bono ordine suorum Procerum.

Author statuit Corpora Mundana in Spatio puro & immateria-to subsistere.

Mundus est Stellarum Errantium synodus.

Corpora Mundana statuunt Philosophi, in Materia aliqua subsistere.

Tycho Brahe verò saltem in *Aura* aliqua.